

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

euangelii obiectum, quia quicquid euangelium proponit, de Christo agit & ad Christum tendit; quippe qui cum merito ac donis suis euangelii est nucleus, quem si non quaeras in eo, sed circa corticem haereas, auram captabis.

§. IX. Obiectum huius *εὐωδίας* seu ad quem haec tendit *Christi bona fragrantia*, est Deus coelestis Pater. Placuit Deo creare homines sibi similes, quibus delectari posset uti pater filio suo. Lapsis autem iis, haec voluptas in taedium & iram versa fuit, quae aeternam eorum perniciem comitem habebat. Sed ne in perniciem quam lapsu suo sibi conflauerant detruderentur, nunquam finiendis subiiciendi cruciatibus, DEVS misericordia erga eos ductus *πρωτευαγγέλιον* in paradiso annunciabat, sancte promittens, fore, ut tempore completo semen mulieris benedictum caput Stygii serpentis contereret, eosque redimeret. Hoc euangelium ipse *Gen. III. 15.* annunciauit, subinde sub variis oeconomis ac dispensationibus repetitum, hominibus proposuit, hunc in finem, ut homines oblatam
 reci-

reciperent gratiam, omni studio fideique obsequio, quo Dei renouaretur voluptas. Deo est bonus ac suavis odor euangelii verbum, quia ex ipsius benigna voluntate, gratiae immensae & misericordiae plena profectum est; quam ob rem ab apostolo Paulo vocatur *ὄσμη θεοῦ* *Act. XX. 27. coll. com. 24.* Non potest non DEO Patri esse *εὐωδία* quia ab ipso est; ita etiam non potest non ei esse gratissimus & suauissimus odor, quia filius *ἐν ᾧ εὐδόκησε* illud misero hominum generi e sinu ipsius reuelauit, & per apostolos reuelandum curauit. Haec *εὐωδία* satis euidenter conspicitur, si effectum euangelii pensitaueris. Est enim non solum causa regenerationis *I. Petr. I. 23.* & ipsius salutis nostrae *Rom. I. 16.* sed etiam certiores nos reddit de reconciliatione hominum cum Deo per Christum facta, de pace, a Principe pacis in cruce per sanguinem ipsius restituta, *Col. I. 20.* Inde indissolubili fuit nexu diuinae gloriae per orbem diuulgatio; multifaria siquidem DEI sapientia per illud patescit, qui saluare vult & potest infensissimos sibi hostes, vt iustitiae suae nihil

quicquam decedat, nec misericordia labefactetur. *Ephes. III. 10.* Diuinam bonitatem, & potentiam nobis conspiciendam praebet, *I. Cor. I. 24.* Veritas DEI immota omnium maxime conspicua redditur, & qui alii sunt eiusmodi effectus insignes, qui non possunt non Deo *euodia* esse, magis, quam homini odor fragrantissimus.

§. X. Non vero obstat, quod multiplicem effectum hunc exoptatum euangelii praekonium, non semper assequatur. Experientia enim docet, non omnes euangelio obedire, vt illud recipiant, per illud vocantem audiant, trahentem sequantur. Culpa non residet in euangelio, sed in iis qui perunt. Obiectum quidem euangelii sunt in vniuersum omnes homines, quos Deus serio & efficaciter omnes saluandos vult; sed quia multi ex vniuerso hominum coetu illud pessime reiiciunt, hinc fit, vt huius generis hominibus fiat odor mortis ad mortem; cum e contrario caeteris sit odor vitae ad vitam. Scilicet sicut aromata pro diuersarum naturarum dispositione, saepe numero diuersos effectus exserunt; sua-